Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

Dicebat autem hanc similitudinem. Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua. Et venit querens fructum in ea et non invenit. Dixit autem ad cultorem vinee. Ecce anni tres sunt ex quo venio querens fructum in ficulnea hac et non invenio. Succide ergo illam.

Palliabant se iudei ex eo quod x. et octo perierant. ipsi vero omnes remanserint illesi. unde apponit eis hanc parabolam. Dicitur enim. Dicebat autem hanc similitudinem. Arborem autem fici habebat quidam plantatam in vinea sua. Ambrosius. Vinea domini sabaoth erat quam dedit in rapinam gentium. Apta autem synagoge arboris illius comparatio est. quia sicut ista arbor redundat foliis fluentibus spem possessoribus suis cassa spe proventuum exspectatione delusit: ita et in synagoga dum doctores eius operibus infecundi: verbis tamen velud foliis redundantibus gloriantur: inanis umbra legis exuberat. Hec est sola arbor que ab initio germinat poma pro floribus et poma decidunt ut poma succedant. Accidit tamen aliquotiens poma priora non decidere. Et enim primum synagoge populus velud inutilis decidit fructus: ut de pinguedine religionis antique novus ecclesie populus enim gerit. Primum tamen ex illis grossi maturescentis est pulcherrimorum gratia fructuum.

ut quid et terram occupat. At ille respondens dixit illi. Domine dimitte illam et hoc anno. usque dum fodiam circa illam et mittam stercora. Et siquidem fecerit fructum: sin autem. in futurum succides illam.

ceteris prestiterunt. quibus dicitur. Sedebitis super xii. thronos. Non nulli tamen ficum istam non synagoge sed malicie et improbitatis figuram putant. Hi tamen in nullo distant nisi quod pro specie genus eligunt. Beda. Ipse autem dominus qui synagogam per moysen instituit: in carne natus apparuit. et crebro in synagoga docens: fructum fidei quesivit. sed in phariseorum mente non invenit. Unde sequitur. Et venit fructum querens in illa et non invenit. Ambrosius. Querebat autem dominus quia non quod fructum ficulnee deesse nesciret. sed ut ostenderet in figura quod fructum synagoga iam habere deberet. Denique ex sequentibus docet non se ante tempus venisse qui per triennium venit. Sic enim habes. Dixit autem ad cultorem vinee. Ecce anni tres ex quo venio querens fructum in ficulnea hac. et non invenio. Venit ad abraham venit ad moysen. venit ad mariam. hoc est. venit in signaculo. venit in lege. venit in corpore. Venit. Adventum eius ex beneficiis recognoscimus. Alibi purificatio. alibi sanctificatio. alibi iustificatio est. Circumcisio purificavit. sanctificavit lex. iustificavit gratia. Ergo populus iudeorum nec purificari potuit. quia circumcisionem corporis non cordis habuit. Neque sanctificari: quia virtutem legis ignorans carnalia magis quam spiritualia sequebatur. Neque iustificari. qui delictorum suorum penitentiam non gerens: gratiam nesciebat.